


LVNÆ DIE 17 M. OCTOBRIS A. 2005

A.d. XVI Kal. Novembres a. MMV

I 2 8

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.llicoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE MAHABHARATA NONNVLLA

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Nuper in Canada edita sunt duo prima volumina translationis Francogallicæ ingentis epicæ carminis Indici c.t. « Mahabharata ». Duo sunt auctores, Gilles Schaufelberger et Guy Vincent, qui huic translationi iam viginti duos annos operam dant¹. Guy Vincent, fidelis Melissæ lector, a nobis petivit ut suum opus præsentaremus, id quod libenter facimus cum epos Mahabharata sit aliquid non solum extraordinarium, sed etiam propinquum veteris Helladis carminibus epicis.

Fortasse miraberis, benevole lector, quod tot annos in hanc translationem conficiendam incubuerunt auctores. Scias oportet iam textum Sanscriticum constitue-re, qui vertatur, laboriosum esse ; manuscripta enim septentrionalia et meridionalia inter se differunt. Manuscripta conferre est opus ingens ; ut exemplum afferam, solius primi capituli Mahabharatae exstant 235 manuscripta...


Hoc de textu originali. Alia difficultas oritur in vertendo ; nam propter polysemiam linguæ Sanscriticæ difficile, quin etiam dubium est, idoneum vocabulo-rum sensum invenire. Translatio singularum sententiarum est ænigma ! Præterea auctores nostri conati sunt non solum recta vocabula invenire, sed etiam « nebulam epicam » reddere.

Quando pactum est carmen illorum Indo-Europæorum nomine « Aryas » vocatorum, qui a secundo millennio a.Ch.n. vallem Indi et postea Gangis occupaverunt ? Nihil accuratius dicere possumus, quam hoc : inter quartum sæculum a.Ch.n. et quartum sæcu-lum p.Ch.n. Lingua adhibita est Sanscritica classica, quæ iam differt a lingua librorum sacrorum Hindu-ismi ; qui libri, « Veda » vocati, conscripti sunt ab anno circiter 1800 a.Ch.n. Nescimus etiam utrum traditio oralis scriptum præcesserit necne ; plerique tamen putant talem traditionem non fuisse, quamquam car-men certe conscriptum est non ut legeretur, sed ut recitatetur. Auctor est persona mythica « Vyâsa » vocata, id quod tantum significat « composer » ; re vera auctor est ignotus.

Antiqui nostræ areæ culturalis aliquid audiverant de his Indicis carminibus. Dio Chrysostomus, inter alios, primo sæculo p.Ch.n. in oratione de Homero dicit epos cantatum extare in India.

Translatio quam præsentamus non est prima, etiam Francogallice. Prima translatio fuit Latina, sub titulo « Savitri carmen » (Berolini 1829, partim, auctore Bopp). Postea, inter annos 1863 et 1870, Fouché totum carmen in Francogallicum transtulit ; in hoc tamen opere decem voluminum insunt errores. Deinde in India, *Bhandarkar Oriental Institute* totum carmen inter

annos 1933 et 1966 in Anglicum vertit ; hæc prima edi-tio critica constat ex undeviginti voluminibus. Optimam translationem Russicam etiam fecit Academia Leninopolitana inter annos 1950 et 1990. Denique, anno 1999, editum est *The electronic text of the Mahabharata* a John Smith Universitatis Cantabri-giensis. Nullus sincerus Sanscritista adhuc audet sibi perfectionem vindicare ; manent loci obscuri, qui in notulis indicantur.



In Mahabharata narrantur res gestæ prolis Bharatæ, quod est Indiæ nomen. Præcipue agitur de bello inter ramum Kaurava et ramum Pandava eiusdem gentis, qui regnum diripiunt ; regnum tamen impetrare non pos-sunt, nisi feminam eximiæ venustatis possidendo.

Capitula sunt inæqualia ; constituuntur circa ali-quem nucleum, i.e. quoddam eventum maioris momenti ; plerumque initium et finis capituli est insi-pidus. Multa « epitheta Homerica » adhibentur, ut « vir tigris », « vir leo », « vir taurus ». Criteria femininæ venustatis crudis verbis exprimuntur, quæ ad litteram in sermonem hodiernum vix verti possunt, cum risum moveant : « femina εὐπλευρος (quæ latas coxendices habet) », « femina clunibus globosis », « femina gravibus mammis », « femina crassis femoribus, elephanti proboscidi similibus » !

Nostra interest invenire cognitionem Mahabharatae cum carminibus Homericis. In libro c.t. *Le mytho-cycle héroïque dans l'aire indo-européenne* (Lovanii 1996), Christophe Vielle monstrat in tribus proximis culturis antiquis, Græca, Indica et Osseta, exstitisse narrationes epicas et mythicas, quarum comparatione restitu-i

potest hereditas communis Indo-Europæa, qualis fuit ante tribuum dispersionem ; hoc modo dici potest argumenta horum carminum epicorum iam exstisset duabus millenniis a.Ch.n.

In Mahabharata sunt 100.000 disticha. In carminibus Hellenum putantur fuisse circiter 100.000 verbum, e quibus supersunt viginti milia Iliadis et Odysseæ, præter Cypria carmina, etiam Homero tributa. In his epicis carminibus inveniuntur argumenta similia, quorum sequuntur nonnulla exempla.

In Cypriis carminibus apparet causa belli Troiani : divina Terra queritur, quod gravatur nimietate hominum (nil novi sub sole !) ; idem invenitur in Mahabharata.

Propter venustissimam mulierem pereunt multi bellatores. Helena a Paride rapta similis est Draupadi, deæ Shrî incarnationi, quam Duryodhamam (« durus, malus ») constupravit occasione aleæ ludi. Helena et Draupadi sunt symbolum regni.

Heroes prædestinantur ad certamen, cuius exitus cosmicus effectus habet. Achilles et Arjuna ambo sunt filii patris venatoris (Peleus et Pandu) et matris divinæ (Thetis et Urvasi, aquarum nympha). Hæ matres suos infantes omnes necant præter unum, quem invincibilem reddunt.

Per carminum Homericorum summam scimus epos, *Æthiopidem* intitulatum, exstisset et Memnonem, Auroræ filium, celebravisse ; qua in narratione Achilles Memnonem, suum verum adversarium, obtruncat ; serius Hector Memnoni substitutus est. Memnon similis est Karmæ, Solis filius, quem Arjuna obtruncat. Memnon et Karma moriuntur solis occasu.

Post cladem minima pars hominum supervivit ; veteres heroes evanescunt. In fine belli, narratur fabula equi, incendium generale (Troiae vel Krsna) et cædes nocturna. Odyssea narrat Ulixis longissimum iter usque ad extremitatem mundi. In Mahabharata quinque heroes mundi extremitatem petunt atque montem Meru ascendere conantur ; unus tantum eorum ad summum montem pervenit, sapiens Yuddhistira, cum suo cane (ut Ulysses et Argus).

Complura ergo communia argumenta reperiuntur : exhaustio naturæ mundi, femina inhumanæ venustatis rapta et perdita, heroes fere invincibiles facti, proditio proximi, finis mundi heroumque ætatis, mons mundi axis.

Perennis est in India fortuna Mahabharatæ ; fiunt imitationes, interpretationes et relationes. Auctores nostri sperant se Mahabharatæ singularitatem reddere valuisse.

Guy Vincent ad nos misit librum anno 1860 Parisiis

editum, c.t. *Poésie héroïque des Indiens comparée à l'épopée grecque et romaine* ; auctor F.G. Eichhoff, Academiæ Parisinæ inspector, dum carmina Indorum dispicit, citata et translationes Latinas addidit ; e quibus nonnullos versus infra exhibemus.



Indra, deus belli, initio etiam babebat pro cælorum rege.

Pulcherrima femina Pramadvara, Eurydice Inda, in eo est ut Ruro, iuveni illustrique brachmano, nubat, cum...

Promisso nuptura die Pramavera per hortos
Dum ludit sociasque vocat festiva puellas,
Sopitum ante viam mediis in floribus anguem
Non vidit, pedibusque premens moritura recessit.
Nam serpens fera colla movet, linguamque coruscans
Dente venenosus teneros transverberat artus
Virginis : illa cadit subita circumdata nocte,
Mentis inops, fusis pallenti in fronte capillis.
Multis, heu ! deflenda cadit ; genialibus annis
Tam speciosa prius, iam non spectabilis ulli.
Exanimis tamen illa, gravi percussa veneno,
Morte decora magis, magis exoptanda quiescit.
Convenere senes sacris ex ædibus, omnes
Ora rigant lacrimis, tacito mærore gementes.
At sponsus terrore amens exclamat, et altam
Irruit in silvam, vocesque effundit ad auras :
Heu iacet illa solo nostri pia causa doloris,
Cara patri, sociis, mihi carior ! Agmina cæli,
Si quid ego donis merui precibusve, magistrum
Assiduus cultor, coniux reddatur amanti !
Si generis memor usque fui, virtute severa

Debita iura tuens, coniux reddatur amanti !...
 Do tibi dimidium vitæ, dilecta, futuræ ;
 Lux ea me fugiat qua tu renovata resurgas !
 Hæc Rullus dum voce pia, dum fletibus orat,
 Assensere dii : diviso æqualiter ævo,
 Ecce, sopore levi velut experrecta, rubore
 Virgineo suffusa genas, nuptura resurgit !

(Mahab. I)

Ecce nunc Æneas Indus, Yudhisthira, qui fratres
 suos mortuos quærerit. Deos rogat, ut sibi inferos peten-
 ti ducem præbeant :

Nuntius antevolat, sequitur Pandavus heros
 Horrendum per iter, septum pallentibus umbris
 Omnipotens scelerum, præcepis immane barathrum ;
 Torpet ubi fetor vitii, morbique, necisque ;
 Sævit ubi flammæ strepitus, dum vermbus atris,
 Vulturibusque, corvisque, ululisque abrepta feruntur
 Ossa, caro, crines miserorum, et gurgite toto
 Monstra cruenta vorant humanæ stragis acervos.
 Ille cadaveribus mediis horrore silenti
 Progreditur, tristes volvens sub pectore curas.
 Pone fluit minitans undis torrentibus amnis,
 Ensiferumque nemus falces protendit acutas.
 Ferrea saxa sonant, strident fornacibus imis
 Lac oleumque tumens artus esura nocentes ;
 Undique putre solum spinis scatet, ignibus aer,
 Terribilesque reis intentant omnia pœnas.

(Mahab. XVIII)

At Yudhisthira vix imaginari potest se fratres suos,
 claros heroes, in hac misera sede esse inventurum :

Quæ via, quis gurges ? non mortis lurida regna,
 Fratres innocuos felici in sede requiro !
 Hæc ait ægro animo, caligine cæcus opaca,
 Ad lucem properans, medio cum clamor ab antro
 Tollitur : Alma deum proles, iustissime regum
 Huc ades, optatæ nobis spes una quietis !
 Purus namque tuo de pectore flatus anhelos
 Erit, ore pio flammarum avertitur ardor.
 Vocibus auditis graviter commotus, et alto,
 Eheu ! corde gemens, tetra stetit anxius ora.
 Quas percepit ovans tam sæpe et sæpe loquelas
 Vivorum, infernis haud agnoscebat in umbris...
 Sed subito memor ille, dolore incensus et ira :
 Aufuge ! ait comiti, superas pete nuntius arces ;
 Non sequar : hic stantem qui te misère vidento,
 Si modo, si fratrū possim lenire dolores !
 Vix ea fatus erat, cum protinus æthere summo

Divum sancta cohors, Indra duce, labitur atrum
 In specus, insolita collustrans tartara luce.
 Ut virtutis honos, ut pax suprema refusit
 Per tenebras, procul ecce oculis evanuit omne
 Supplicium, flumenque ardens, spinæque cruentæ,
 Fossæque ignivomæ, ferroque rigidia saxa.
 Discessere vagis obducta cadavera nimbis ;
 Dumque favens zephyrus vivos aspirat odores,
 Inferius splendet cæli radiantis imago.

(Mahab. XVIII)

Inveniuntur etiam magnæ et pulchræ sententiæ,
 impetu simul poetico et religioso præstantes. Hæc,
 inter alias, lepide exprimit immortalitatem animæ quæ
 omnes metamorphoses ita transit ut nihil perdat suæ
 vitalitatis :

Mens ea, perpetua florens invicta iuventa,
 Non fit, non moritur, nec gignitur aut perit unquam ;
 Utque novas vestes, habitu marcente relicto,
 Induimus, mens læta novo se corpore vestit.

(Mahab. VI) ■■

1. *Le Mahabarata. Tome 1 : la genèse du monde*, textes traduits du sanskrit et annotés par Gilles Schaefelberger et Guy Vincent, Les Presses de l'Université de Laval, 2004.

DE QVANTALIS PHYSICÆ FVNDAMENTIS ALIQVOT (II)

– *scripsit Stephanus Berard –*

DE AMBIGUITATIS PRINCIPIO



Niels Bohr

Nialum Bohr « realistam pervicacem » fuisse traditur quem ipsos solummodo experimentorum eventus accepisse. Haud mirum est igitur quod experimentorum priore in symbola mea expositorum primam faciem accepit ille entiaque regno quantali proxime subiecta, sive « entia quantalia », propter eorum effecta imprimis undas esse opinabatur quas, quibusdam modis observatas, particuliformes apparere sive fieri posse. Quam agendi rationem « binarem », e « difficultate mensuræ », quæ dicitur, natam, non tamen ab instrumentorum mendo aliquo fieri animadvertisendum est. Immolationes agendi et particularem et undalem, etiam eodem simul in experimento, subtilissime metiri valemus. « Difficultas » autem dicta « mensuræ quantalis » non in instrumentis sed potius in eo consistebat quod entis subatomici semel mensi natura in perpetuum constitui videbatur. Hoc est, *post factam mensuram proprietates status contrarii non iam umquam – neque præterito neque præsenti neque futuro tempore – animadvertis videbantur!*

Evasit ut talis status fixura reciproca sive « complementaria » sed irrecindibilis cunctarum mensurarum quantalium videretur esse propria. Verbi gratia, particulæ cuiuspiam et locus et impetus momenti nequam simul metiri possumus exakte. Ita attribui potest particulæ locus certissimus ut de momenti impetu prorsus sciatur nihil, aut, contra, impetus ita ad amissim constitui licet ut locus neque antea potuerit neque in præsenti neque in futuris possit sciri. Alterna condizione, quod ad unicam particulam quampiam attinet, tolli possit ad amissim quinquagesima pars ex centum (« 50 % ») et (i) omnium momenti impetus numerorum qui particulæ tribui possint et simul (ii) omnium locorum quos eadem particula occupare possit. Cum unicæ particulæ cuiuspiam quantales status bini reciproce contrarii certo constitui numquam liceat, loquuntur

physici de « Principio Ambiguitatis Heisenbergiano » quod a Werneru Heisenberg physico et inventum et primum in verba conceptum est. Si quidem Constans Planckiana zerum efficiat, nulla sit ambiguitas. Cum autem Constans Planckiana, incrementum minimum rerum in cosmo nostro agendarum, summam quandam positivam efficiat, ambiguitas quantalis – etiam « incertitudo quantalis » vocata – alio pro vultu est habenda illius proprietatis quantalis generalis quæ priore in symbola adumbrata est quæque unica forsitan locutione exprimi potest ut « mutationis sive transitus disiunctivitas instantanea ». Hoc est, cosmos quodammodo granulatus est ac granulum quodque universo in tempore cosmicō ex binis statibus quantalibus reciprocis quibuslibet singulum tantum accipere potest. Tali modo est regnum quantale semper penitusque reciprocum et ambiguum vel « reciproce ambiguum »; nam, quod ad statuum contrariorum par quodvis attinet, ens quantale quodque hoc semper modo se gerit, *status sui proprietas contrarii generis ambas numquam aperiens*.



Werner Heisenberg

DE MATERIÆ PROPRIETATIBUS VNDALIBUS

« Præcipuae relativitatis » æquationis, quæ est $e = mc^2$ (sive « [energia] æquat [materiam] multiplicatam cum [lucis velocitate [in se multiplicata]] »), non iam a quoquam in dubium vocatur auctoritas, etiamsi eam tantummodo supra fastigium quantale rerum naturam significanter describere valere nunc scimus, scilicet propterea quod « materia » et « energia », quæ ibi dicuntur, si eas in rerum gradu quantali scrutamur, inter se haud iam differre videntur. Attamen $e = mc^2$ illud, quamvis ad res quantales quadamtenus redundans, in quantali fastigio simul ob ipsam hanc redundantiam confirmatur. Hanc ob æquationem haud mirum videtur, id quod quantalis mechanica monstrat, « materiam », quam dicimus, ex undis consistere, quippe enim undæ vis ductus sive energiæ canales sunt.

Photonium, ens quantale undiparticulare « mole » carens, est energiæ liberæ frustulum velocitate lucis se movens. At talis energia libera, roget aliquis, quomodo nam materia fieri potest ? Cui respondetur « si in undæ stantis figuram capitur. » Nimiris forsan simpliciter explicitur hoc modo. Cum electronium iam (atomo) devinctum photonium absorbens statim sineque medio passu ullo in testa energetica superiore versari competit, unda energetica quæ est photonium iam intra atomi « orbitam » novam « retentivam » coercetur. Talis « undæ stantis » exemplum notius præstat illa vibratio quæ in violinæ chorda a violinista canenti creatur. Quæ unda inter violinæ clavos et ponticulum continetur neque ultra pergere potest, etsi sane energia eius per convibrationem in aërem dissipatur, undas sonales efficiens. Photonium autem, propter leges quantales, intra nostri cosmi totum tempus haud dissipaverit se sed potius perpetuo captum tenetur... donec electronium, de una ex X numero causis sibi circumiectis, energiæ summulam photonicam dedere cogatur – tantummodo plane in talibus incrementis qualia permittit Constans Planckiana.


Exemplum longe aliud suppeditat neutronium, particula stabilissima graviorque quæ intra atomi nucleus versari solet quæque tamen, contra stabilitatem suam, « dilapsum beta », qui dicitur, pati potest. Quod si fit, neutronium electronium unum liberans una cum ente quodam materia carenti lucisque moto velocitate, « neutrinum » quod dicitur, aliquantillum ilico energiæ necnon oneris electrici partem amittit, quo neutronium in protonium convertitur. Vndæ igitur energeticæ prius stantes duæ (sc. electronii et neutrini) ut undæ tandem liberæ emittuntur ; quo manifestum fit inter « materiam » et « energiam » dictas tantummodo hoc interesse : quod in hac libera, in illa capta est vis sive energia eadem. Ex hoc invicem videmus formulam illam Einsteinianam re vera esse descriptionem proprie relativisticam ac classicam potius quam quantalem, quia $e = mc^2$ solummodo aliquid significat si mechanicæ classicæ Newtonianæ emendatio tantum relativistica Einsteiniana spectatur. Namque in ipso rerum gradu quantali si nos (infingibiliter sane parvi facti oculisque infingibiliter acutis instructi !) neutronium nondum dilapsum bene inspicimus, electronii et neutrini adhuc captorum energiam energiam nihilominus esse videamus se nihilominus assidue lucis velocitate moventem, quamvis sane certissimam iam intra orbitam coactam. Materia igitur nihil prorsus est nisi energia capta sive illaqueata, atque illa energia quæ est materia numquam non lucis velocitate aut prope eam movetur. Quo formula illa relativistica notissima materiam « energiam »

esse dicens, etsi alibi perutilis, in regno quantali, quod iam dictum, admodum redundans evadit. Quin immo opinio ista materiam « energiam » esse quodammodo « repigratam » maxima ex parte falsa est ; nam non tam repigratae quam captæ manent in orbita energeticæ undæ, scilicet ob condicionem quandam « energiæ puteus » nominatam. Vndæ enim sic absorbentur tamquam si in cavum aliquem incident ; quo facto, ut rursus liberentur, oportet vis aliqua – aut externa, sicut in dilapsu beta, aut interna – eas neutronii potestate exsolvat.

... At curnam, rogaverit aliquis, verbum quod est *energia* signis citationis iam instruo ? Videlicet quia « *energia* » (quo vocabulo indicantur et « *vis cinetica* » et « *vis potentialis* ») quoque est notio omnino classica ac macroscopica. Sub mechaniae classicæ gradum usque in regnum quantale micro-microscopicum si penetraverit obtutus noster, id quod in gradu classico « *energiæ* » vocamus perquam aptius illo vocabulo quod est « *informatio* » designari animadvertemus. Hoc demum monstrant functionum undalium quantalium æquationes : ipsas undas quantales ex energia non constare. Quod ut intellegatur, erit undarum quantalium natura paulo fusius exponenda.

Quid igitur est unda quantalis si per nullam materiam medium promovetur, scilicet si nec per aërem nec per aquam nec per « ætherem » nec per substratum ullum corporale propagat se ? Ad hanc interrogationem respondere poterimus si Principium Ambiguitatis retractaverimus. Ens subatomicum quodpiam, loco motusque impetu nondum compertis, unda manet ; sed simulac naturæ particularis proprietas aliqua animadvertisit – hoc est simulac per animadversionem in particulam convertitur – unda, quod iam vidimus, *ilico* evanescit. Immo, non solum non iam est unda sed etiam nos animadvertentes veritatem instituimus (singulari in realitate) undam numquam fuisse. Postulat autem Ambiguitatis Principium entis locum « particularem », quamvis post formam undalem dilapsam sciri possit, ante dilapsum tamen prædicti non posse – id quod pro speciei undalis eventu residuo sive effectu reliquo habetur. Scilicet, etiamsi entis vultus undalis iam dissolutus sit, hic tamen undarius vultus efficit (vel effecit) ut investigator nullo modo prænoscere præfinire possit ubi, intra undæ quantalis coniectum mathematice computabilem, vultus novus particularis se sit effecturus. Ante undæ collapsum, de eo loco in quo sit (fueritque futuraque sit) undæ species particularis probabilitates tantum relativas computare possumus. Nihil certius scire valemus ante animadversionem mensuramve factam – qua facta, unda iam abiit

relinquiturque vultus solus particularis. Si functio undalis per tabulam graphicam exprimitur, unda describitur hunc indicans minime verisimile, hunc versimilius, hunc verisimillimum esse particulam occupare (occupavisse/occupaturam esse) locum.



Functionis quantalis arcus probabilisticus duobus in axibus graphicis depictus.

P = probabilitatis gradus ; I = omnia puncta in cosmo aliquo singulari ubi unda in particulam « collabi » potest. Multo versimilius est ut unda quantalis in arcus media parte in particulam collaboratur ; sed qualibet in parte collabi potest, quo efficietur una ex possibilitatibus numero infinitis. + signo collapsus unus possibilis indicatur.

Hæc ambiguitas, quamquam per experimenta pæne ad nauseam renovata assidue confirmata est, Albertum Einstein huiusque collegas nonnullos, inter quos Max Planck et Erwinum Schrödinger et Ludovicum de Broglie, summe irritabat dictumque Einsteinianum illud provocavit : « Deus de cosmo alea non ludit ! » Enimvero peculiaris ambiguitas hæc barathrum efficit mechanicam quantalem a classica seiungens. Nam in hac exstat inter causam et eventum interque theoriam mathematicam et comperta corporalia ratio biunica (sc. in qua ratione duplii utrius partis elementum quodque ita ad alterius partis elementum quodpiam unicum respondet ut nullum restet elementum ad alterius partis elementum unicum aliquid non respondens) ; in illa autem existunt tantum probabilitates. Si mechanicae quantalis habetur plena ratio, res corporales solum tum exstare « solere » sive « probabiliter » exstare videntur cum nos quæ sint eæ atque ubi versentur tandem animadvertisimus. Quantalis undæ functio, per $|\psi|$ signum modo vectorali expressa, id quod iam prioris sæculi annis vicesimis agnovit Max Born, nihil est nisi « probabilitatis unda ». Hoc est, $|\psi|^x$ depingit modo generali omnia loca in quibus « ens X » esse potest nec-

non quam probabile sit ut in horum locorum quoque inveniatur. Vndæ igitur quantalis substratum sive « substantia media » neque aër neque aqua neque « æther » sed potius *possibilitas* est.

Vndæ quantales, a physicis sæpius « undarum quantalium sarginulæ » (*quantum wave packets*) denominatae, ceteris undis penitus dissimiles, nullam habent undulationis amplitudinem certam – vel, ut exactius dicatur, infinitis undulationis amplitudinibus inter se superimpositis prædictæ esse videntur, quæ tamen omnes infra amplitudinem aliquam certam quam maximam coercentur. (Infinitas infra finem quam maximum coerceri potest – licet hoc oxymoronicum videatur – quia in spatio configurationali nullus est finis quam minimus. Scilicet non solum magna spatia geometrica sed etiam parva sunt infinita.) Quo dicitur undarum quantalium sarginulas copiam energiæ infinitam continere – vel, rectius, copiam infinitam informationis de energia quae exstare potest. Functionem $|\psi|$ quampiam summam infinitam informationis de energia possibili continere compertum est. Sed vera energia mundana sive finita sive talis qualis in interactione subatomica computari possit haud prius sciri potest quam per animadversionem sive mensuram natura eius ut « particularis » destinetur. Hoc etiam per mechanicæ undalis artem mathematicam omnino deterministicam considerare possumus, scilicet si experimenti cunctas condiciones apparatusque totum intuemur – tantummodo autem ante undam in particulam « collapsam ». Nam antequam quicquam vel animadvertisamus vel metiamur, possibilatum limites, per functionem undalem quantalem præceptos, computare possumus. Per theoriam licet probabilitates exactius exactiusque computare prout ratio habeatur plurum rerum functionum undalium velut ipsius apparatus mensuralis ipsiusve investigatoris, nam hæc sunt quoque interactionis variabilia. In functione undali $|\psi|$ quapiam omnino exakte prædicti possit particularis speciei et natura et locus dummodo totius universi functio undalis æquationi ut numerus factor applicari possit – quod plane fieri nequit. Quamobrem, multisque aliis de causis cum hoc coniunctis, quarum nonnullas posthac considerabimus, mechanica quantalis scientiæ naturalis genus holisticum evadit. Videbimus enim omne quod in gradu quantali fit cetero cum universo cumque universi uno quoque Quanto statim et proxime coniungi. ■■

BEATRIX ET EIVS AMICI (v)

SIVE DE VITA COTTIDIANA QVARTI DECIMI SÆCVLI

– *scripsit Francisca Deraedt* –

Beatrix de Planissolas, domina castelli Montis Alionis, mediocri nobilitate orta, bis vidua, sed adhuc iuvenis, mater duarum puellarum, amare semper amavit. Præter suos maritos, quos non nimium dilexit, sed valde timuit, nonnullos etiam habuit amasios, homines condicionis inferioris. Sic vita fluebat tranquilla, usque dum apparuit Petrus Clerici parochus hæreticus.

Beatrix, mulier pia, ecclesiam frequentare solet. Tempore quadragesimæ, cum pone altare sanctæ Mariæ in eo sit ut peccata sua sacerdoti aperiat, is omnino aliam rem curans eam necopinato osculatur, dicens « non esse mulierem in mundo quam tantum diligenter sicut ipsam »¹. Beatrix abit stupefacta, sed non irata, « nulla facta confessione ». Petrus ei postea satis assidue lenocinatur, illecebris, sollicitationibus, astutis sermonibus paulatim expugnans hæsitationes mulieris.

Sic fit ut ineunte mense Iulio parochi lepores Beaticem vincant. Sequitur consuetudo duorum annorum, inter quam amantes bis terve in septimana conveniunt, sive domi sive in ecclesia. Hæc familiaritas videatur fuisse iucunda : Beatrix enim, præter scrupulos nonnullos de quibus locuturi sumus, Petrum habet pro bono et laudabili viro ; in lecto, iuxta focum, ad fenestram eum diligenter expediculat, quo gestu non solum munditiæ ostendit curam, sed etiam caritatem rite manifestat. Habent longa colloquia, quibus Petrus Beaticem docet oeconomiam familiarem, theologiam Albigensem, contraceptionem magico-practicam.

Nam domina castelli valde timet illicitam graviditatem : « Et quid faciam si imprægner a vobis ? Ero confusa et perdita. » Ab omni antiquitate homines plus minusve feliciter conati sunt inoptabiles partus impedi re. Medio Ævo certe atocia sunt satis empirica et eorum effectus videtur magis a fortuna quam a scientia pendere. Sacerdos noster suum habet remedium, « herbam quandam » cuius nomen neque nobis neque ipsi Beatrici revelatur, et quæ in sacculo inclusa collo ita est suspendenda, ut critico tempore pendeat ante orificium « stomachi » (sic !) muliebris. Etsi nos quidem de efficacitate huius amuleti paululum dubitamus, Beatrix, contra, ei omnino confidit. Sacerdos etiam, ut videtur, qui re transacta herbulam suam in funda diligenter solet recondere. Beatrix aliquando rogare audet, ut eandem sibi committat. E Petri responso statim intellegimus quæ sit, viro iudice, utilitas atocii : herbam enim ei dare non vult, quia si eam haberet, « posset coniungi cum alio homine, et non imprægnaretur ab eo ». Hæc suspicio, ut Beatrix inquisitori fatetur, pertinet ad « Ramundum Clerici, qui primo tenuerat eam ante dictum sacerdotem, quia prædicti duo erant

zelotypi de ea. » Obiter animadvertisimus dominam castelli non solitam esse tædio affici... Sed ergo contraceptio, præter nothos vitandos, etiam est modus quo vir feminam retineat. Nonne adhuc longe absimus ab hodiernis temporibus, quibus contraceptio habetur ut una e rationibus femininæ liberationis !

Sed alii sunt timores. Petrus enim est sacerdos, atque Beatrix pro certo habet « nullam mulierem quæ a sacerdote cognoscitur carnaliter posse videre faciem Dei ». Tatæ ! Ecquales sunt istæ religiones ? Quæ refelluntur miris ratiocinationibus : « Ita magnum peccatum est », docet ecclesiæ procurator, « si mulier coniugata cognoscitur carnaliter a proprio marito sicut si cognosceretur a quocumque alio, et æquale peccatum est de quocumque homine, etiam marito sicut de sacerdote, et maius peccatum est de marito quam de alio homine, quia uxor non credit se peccare quando cognoscitur a marito, et tamen, quando cognoscitur ab aliis hominibus, se peccare credit, propter ea gravius peccatum est quando cognoscitur carnaliter a marito quam ab alio homine. » Hoc est cogitare !

Huiusmodi notio peccati, nobis satis mirabilis, imprimis est valde commoda. Ut rem paucis contraham : quoniam omnia vetantur, permittuntur omnia.

Beatrix tamen de hac re non est tam certa. Et cum aliqua nocte Nativitatis sacerdos eam iterum subagitare vult, vehementer stomachatur : « Et quomodo in tam sancta nocte vos vultis facere tam grande peccatum ! » Et dictus sacerdos respondit æquale peccatum esse rem habere cum muliere in quacumque alia nocte, sicut in nocte Nativitatis Domini. » Semper eadem notio : cum peccata sint omnia, de re eo minus est curandum, quod « solus Deus potest absolvere ». Et Beatrix maxime offenditur, quod Petrus « tamen sequenti die celebravit missam ».

Post duos annos flagrantis amoris, Beatrix hanc coniunctionem subito rumpit. Timet enim de anima sua, quam sacerdos hæreticus ad catharos attrahere intendit. Montem Alionis relinquit petitque vicum propinquum, in quo – bis repetita placent – sacerdotem etiam amat. Servat tamen cum Petro veretem amicitiam. Ab inquisitoribus mox capta, in carcerem conicitur, e quo uno anno post liberabitur.

Magnæ fuit fortunæ, eam effugere rogum. Nam inquisitor, cum videret eam secum gerere res miras et suspectas – habebat enim, in aliquo sacculo, duos umbilicos infantium, pannos menstruali sanguine imbutos, grana turis, speculum, cultellum, herbam quandam et nonnulla frusta panis siccii –, inquisitor, inquam, in eo fuit ut dominam castelli sortilegiorum

accusaret damnaretque tamquam saganam. At ea respondit se nulla maleficia umquam fecisse posseque virtutem explicare horum singulorum amuletorum (noli, bone lector, sequentia legere ante cenam sedens). Umbilicos esse nepotum suorum, seque eos servare quod ab aliqua muliere (« prius Iudæa, postea baptizata ») dictum esset se eorum beneficio in qualibet causa victuram esse ; se tamen interea nullam causam habuisse, in qua umbilicorum efficaciam probare posset. Pannos autem esse sanguine filiæ suaæ Philippæ imbutos, destinatosque futuro puellæ marito ; virum enim, secundum eandem Iudæam baptizatam, qui prima cuiusvis mulieris menstrua bibisset, numquam umquam postea curare de ulla alia muliere ; itaque se pannos servare aliquando madefaciendos Philippæque sponso præbendos. Tus, modo ita simpliciore ut pæne simus decepti, sanare dolores capitis. Speculum et cultellum esse instrumenta cottidianæ utilitatis. Herbam sibi datam esse ab aliquo peregrino valereque contra morbum caducum, seque eam servare quod nepotem haberet huic morbo obnoxium. De pane nihil dixit : fortasse hæc mulier provida etiam de reclamanti stomacho præcogitavit.

Inquisitor videtur has explicationes, quamquam tam miræ erant quam ipsæ res apud Beatricem inventæ, benevolis auribus accepisse ; nec poterat nescire huiusmodi remedia suo tempore ubique adhiberi ac pertinere ad magiam domesticam, nequaquam ad diabolica maleficia. In vico Monte Alionis, exempli gratia, omnes, cuiuscumque condicionis sunt, utuntur vate muslimo, quem de hominum animaliumque valetudine consulere solent. Similiter in vico propinquo notarius, ab aliqua muliere interrogatus de copia lanæ in nudinis aut rapta aut perdita, ad nodum solvendum adhibet « artem sancti Georgii », qua puellula in speculo legens inventura est vestigia rerum amissarum. Nihil diabolici in his parvis rebus ; et inquisitor Iacobus Fournier, in catharis deprehendendis totus occupatus, ad tales nugas non attendit.

Res est bene nota : homines eo plus creduli sunt, quo minus erudit. Quarto decimo sæculo tota vitæ ratio pendet a præsagiis mythisque variis. Vates, si est Iudæus aut Arabs, eo præstantior videtur quod signa trahit e libro simplicibus mortalibus dupliciter inintellegibili : imprimis quia legere nesciunt, postea quia litteris arcans est conscriptus. Magistri cathari etiam sæpe interrogantur. Et aves ! Aves omnia regunt : noctuæ rapiunt animas mortuorum, viventibus autem magis timendæ sunt picæ, auguria omnium pessima. Sic genua Belibastam deserunt, cum in via picam videt ante se ter transeuntem, et insuper garriendo : tum –

et quidem merito – præsagit futuram sortem suam : « ‘Sancte spiritus’, ait, ‘adiuva nos !’ Et sedit super quendam lapidem totus tristis et anxius. »²

Cum autem de animalibus agatur, pelicanus dignus est qui memoretur. Eius pulchra historia, paululum « catharizata », in tota Occitania auditur : « Quædam avis est vocata pelicanus, quæ est ita clara sicut sol, et sequitur ipsum solem. Quæ avis habuit pullos, et cum illos dimittebat in nido, et ipsa ibat aliquo solem sequendo, veniebat quædam bestia, et dismembrabat³ dictos pullos, et amputabat eorum rostra. Et quando reversus est pelicanus ad suos pullos, inveniens eos dismembratos, et perdidisse rostra, sanabat eos. Et cum hoc frequenter fieret, tandem cogitavit intra se pelicanus, claritatem suam abscondere, qua absconsa latitaret iuxta pullos, et cum dicta bestia veniret, caperet et occideret ipsam, ne cetero illos pullos posset dismembrare vel rostra auferre, quod et factum est. »⁴ Hic ergo pelicanus est Christus, bestia est diabolus, sicut pica et noctua.

Inter hominum persuasiones etiam multum valet metempsychosis, de qua inter alia agetur in proxima eademque ultima huius seriei symbola. Interea, bone lector, vale. ■

1. De Beatrice historia cfr *Le Registre d’Inquisition de Jacques Fournier, évêque de Pamiers (1318-1325)*, manuscrit latin n° 4030 de la Bibliothèque vaticane, édité par Jean Duvernoy, Toulouse, 1965, 3 vol., I, p. 216-250.

2. *Op. cit.*, III, p. 210.

3. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediae et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, III, p. 56 : « dismembrare, demembrare : membra corporis auferre, diserpere. »

4. *Op. cit.*, I, p. 357.



FRANCISCI MOLLOY (ca. 1606-ca. 1677)

POETÆ EX HIBERNIS ORIVNDI, EPIGRAMMATA INEDITA

- quæ primum publicavit Theodericus Sacré -

Paucis ante mensibus, dum Vaticana in bibliotheca codices quosdam manu scriptos pervolvo, quibus carmina ad Fabium Chisium sive Alexandrum VII P.M. (1655-1667) continebantur, in epigrammatum congeriem quandam forte incidi¹. Quæ cur legere cœperim, nescio, nisi forte quod, cum ceteri versus, quibus ei codices scaterent, laudes Chisianas canerent infinitas, hæc epigrammata circa argumenta varia versabantur ac diversa tædiumque varietate ipsa sublevabant. Nomen autem scriptoris præ se ferebant illa quod mihi erat ignotum : Franciscus enim Molloy quis esset latuit me ; adscripta quoque erat dies et locus ubi opus poeta ille obscurus absolverat : « In S. Isidori Romæ 14 Julij 1666 ». Duo inde facili coniectura concludebam : alterum, quod epigrammata iusto iure in hunc codicem erant relata, siquidem in Urbe erant composita dum Alexander VII Chisius Pontificem Maximum agit ; alterum, quod Molloy Franciscalis erat sodalis ortumque ex Hibernis traxerat : nam Ecclesiam et Collegium S. Isidori, sæculo XVII Romæ condita, Franciscanorum Hibernicorum ad hunc usque diem esse nemo est qui ignoret.

Nec me hæc feffellerunt coniecturæ. Nam libros quosdam scrutatus virum mox repperi. E quibus didici nomina ei gentilicia fuisse præter Molloy etiam O'Malley atque O Maolmhuaidh ; natum esse in diœcesi Medensi (v. Meath) anno circiter 1606 ; anno 1632 in Urbe nomen dedisse Fratribus Franciscanis ex ordine strictioris observantiæ ; mox eum tirones philosophia et theologia cum in agro Vindobonensi, tum in collegio Græciensi erudivisse ; circa annum 1647 præpositorum iussu Romæ sibi sedem posuisse easdemque ibi disciplinas lustra per quinque (1652-1677) docuisse, quas apud Austriacos antea docuerat. Ibi Congregatio de Propaganda Fide typis excusa esse opera eius duo, *Lucernam Fidelium* (Romæ, 1676) sive elementa Christianæ doctrinæ Hibernico sermone tradita, nec non *Grammaticam Latino-Hibernicam nunc compendiatam* (Romæ, 1677) : illam in oblivionem venisse ; hanc viris sermonis Hibernici studiosis etiamnunc innotuisse quod nemo ante Franciscum Molloy rudimenta grammaticæ Hibernicæ in vulgus emiserit². Quo ille tempore e vivis excesserit non liquet ; veri autem est simile eum exeunte anno 1677 in itinere quodam esse mortuum.

Silentio autem prætermisere Francisci Molloy carmina Latina qui virum eum doctum attigerunt³. Quod cum ita sit, epigrammata hæc Vaticana, e quibus pauca selecta afferre me iuvat, non solum inedita esse autumo, sed etiam plane incognita. Quæ non arguant tironem in re poetica hospitem et peregrinum, sed Musarum alumnum ostendunt in versificatione Latina

exercitatissimum. Nam lusus eos verborum frequentissimos, quamvis immoderati nobis interdum esse videantur, non ille interseruissest dicam an continuatisimus esset persecutus, nisi versiculis scribendis multam impendisset operam. Ac mea quidem sententia poeta ille Hibernicus Cambriensis epigrammatistæ vestigiis est ingressus ; nam haud secus ac Iohannes ille Audioenus sive Owenus⁴, qui sæculo XVI exeunte, ineunte XVII floruit, Franciscus Molloy cetera metra respuit, unus distichis elegiacis contentus ; sicuti Audioenus non homines, verum mores carpsit ; iuxta exempla Audioeniana universalitate quadam insigniuntur Molloii epigrammata, quibus trita argumenta propounduntur, at eæ nugæ novis usque verborum lusibus, figuris etymologicis, paronomasiis, paradoxis coactis atque accumulatis mirum in modum sunt conspicuæ. Quid multa ? Audioenus catholicos reprehendit, aca-tholicos Molloius ; illum Martiale redivivum haud iniuria appellabis ; hunc nemo eodem honore dignabitur, quod Horatianum illud ‘est modus in rebus’ non obscure neglexit, quippe quem tulerit ævum acitorum eiusmodi artificiorum peramans argutiarumque studiosum admodum.

1. *Ad lectorem* (f. 227r)

Ne non sint timeo placitura epigrammata doctis
et timeo, indoctis ne placitura viris.
Grande decus, si sint placitura epigrammata doctis,
maius, si indoctis displicitura, decus.⁵

2. *Iocus de latrone* (f. 238r)

Forte fatigatum offendens sub pondere nummi
latro, fatigato surripiebat onus.
Captus se excusat divinum dogma secutum :
nimirum alterius portet ut alter onus.⁶

3. *Martyrium Sancti Sebastiani* (f. 242v)

In te telorum ferratus depluit imber :
densa sagittorum in corpore⁷ silva riget.
Quin, anima, egredieris ? Panduntur mille fenestræ :
ostia mille tibi spicula mille parant.
Mille vias cæli pandunt tibi mille sagittæ :
una via est aliis, sed tibi mille viæ.

4. *Ad calvum* (f. 237v)

Innumeræ pelagi prius enumerabis arenas,
quam poteris crines dinumerare tuos.

5. *Passio Christi* (f. 242v)

Durius an saxo quidquam ? Aes. Quid durius ære ?
 Ferrum. Quid ferro durius ? Ipsa chalybs.
 Durius at chalybe an quid dicas ? Durum adamantem.
 Durius an quidquam duro adamante ? Nihil.
 Ipsa duritie ecquid durius est ? Hominis cor,
 quem Christi moveat nil morientis amor :
 hic saxum, æs, ferrum, chalybem gerit atque adamantem
 et duram in duro pectore duritiem.
 Quem Christi morientis amor non reddit amantem,
 non hic amantis habet cor, adamantis habet.

6. *Iurista⁸ et medicus* (f. 236r)

Ut valeant homines, semper, Galene, laboras
 et ne contendant, Iustiniane, studies.
 Si valeant semper, numquam, Galene, valebis ;
 si non contendant, Iustiniane, iaces.
 Ius iacet alterius, si non iniuria regnet ;
 ni morbi, alterius sic medicina iacet.
 Crescit uterque malis hominum : alter litibus, alter
 febrisbus. Ergo homini ni male, utrique male est.

7. *Matrimonium* (f. 238r-v)

Felicem dico, si cui bona contigit uxor ;
 felicem, cui non contigit ulla mala ;
 felicem, cui non doctissima contigit uxor ;
 felicem, cui non contigit ulla rudis.
 Felices omnes ; felicior omnibus is, cui
 nec mala nec bona nec docta nec ulla rudis.

8. *Superbi vestis* (f. 234r)

Quid bombycigena⁹ pretiosus veste superbis ?
 Tegmina quæ gestas viscera vermis erant.
 Scilicet hoc pactum est, vivo ut tibi tegmina vermis
 det, qui defuncti pabula¹⁰ vermis eris.

9. *Matrimonium senis* (f. 237v)

Crux coniux, thalamus tumulus, conubia nubes,
 tædia sunt tædæ coniugiumque iugum.
 Rixa maritalis tibi Martialis¹¹, furor uxor,
 curarum limen non nisi blandus Hymen.
 Mens danda haud pulchræ tibi cum meditanda sepulchra :
 utilis es tumulo, futilis es thalamo.
 Utilis es tumulo, thalamo sed futilis. Ergo
 dedecet hos annos pulchra, sepulchra decent.

10. *Ad dolentem de abscissa sibi barba* (f. 236r)

Quod promissa tibi non barba est, te male torquet,
 nam promissa facit non nisi barba virum.
 Promissam si vis barbam, promitto ego barbam :
 sic promissa facit te quoque barba virum !

11. *Ad lunaticum* (f. 237r)

Romanus consul pede lunam gesserat olim¹² ;
 nobiliore loco luna tibi in capite est¹³...
 Nobiliore loco num sit tibi, nescio ; si non
 nobiliore loco est, mobiliore loco est.

12. *In peccatrices* (f. 235r)

Dicitur a veniendo Venus deducere nomen,
 scilicet ad quosvis quod venit ultro Venus.
 At potius nomen Venus a veneundo¹⁴ tenebit,
 quod scit se cuivis vendere prompta Venus.
 Aut Venus a *venor* ducta est : venatur amores,
 tendit et incautis retia blanda viris.
 Aut Venus a vena, quæ in venas serpit amore
 et virus venas +populat+¹⁵ ipsa Venus.
 Aut Venus a vino, quæ vino enata calescit :
 a vino vires accipit aucta Venus.
 Si non a vena vel vino, dicta veneno est :
 sub dulci condit melle venena Venus.
 Sive a veneundo¹⁶, venando seu veniendo,
 a vino aut viro¹⁷ seu sibi nomen habet,
 omnia sunt Veneri communia nomina : nempe
 communis sic est omnibus ipsa Venus.

13. *Filia patrem in carcere fame pereuntem lactavit* (f. 238v)¹⁸

Quod debes patri, patri pietate rependis ;
 nempe patri vita es, qui tibi vita fuit.
 Fida pio inclusum sic lactas ubere patrem :
 ipsa tui genitrix sic genitoris eras.
 Sanguine nata patri es ; fuit hic tibi lacte renatus :
 una patri mater nata simulque tuo.
 Plus pietatis habet lac natæ sanguine patris,
 ut servasse magis quam genuisse pium.
 Qua te voce vocem ? Nutrix et filia in una es ;
 plus prodest nutrix quam tibi nata, pater.
 Quid mirer mage, nutricem natam esse parentis
 an quod nata parens ipsa parentis erat ? ❁

1. Bib. Apost. Vat., cod. Chigi D.III.40.
2. Cfr. H.C.G. Matthew - B. Harrison (edd.), *Oxford Dictionary of National Biography (...) from the earliest times to the year 2000*, 41 (Oxonii, 2004), pp. 804-805 (B. Cunningham) ; B. Millett, 'Irish Literature in Latin, 1550-1700', in T.W. Moody - F.X. Martin - F.J. Byrne (edd.), *A New History of Ireland*, III : *Early Modern Ireland 1534-1691* (Oxonii, 1978, ed. alt.), pp. 561-586 (p. 565) ; 'Finding-List of Irish Neo-Latin Sources' in interreti (<http://www.ucc.ie/acad/classics/CNLS/area.html>) (nomen eius tantummodo memoratur) ; G. Cleary, *Father Luke Wadding and St. Isidore's College Rome : Biographical and Historical Notes and Documents* (Romæ, 1925), pp. 104-108 ; H. Sbaralea, *Supplementum et castigatio ad scriptores trium ordinum S. Francisci a Waddingo, aliisve descriptos (...)*, I, *Bibliotheca historico-bibliographica*, 2 (Romæ, 1908), p. 289 ; B. Millett, *The Irish Franciscans 1651-1665*, Analecta Gregoriana, 129 (Romæ, 1964) passim (preprimis pp. 479-480).
3. At carminis c.t. *Jubilatio genethliaca in honorem Prosperi Baltasaris Philippi Hispaniarum principis* (Romæ, 1658) hic illic fit mentio ; cuius libri exemplum servatur Parisiis in Bib. Nat. Ceterum G. Cleary, *Father Luke Wadding*, p. 107, Molloium versus Latinos (Romæ, 1672) edidisse asseverat, cum Card. Altierius Collegium S. Isidori solito more inviseret (cfr. etiam p. 106 : « O'Molloy fequenty indulged in verse, both Irish and Latin. »).
4. Cfr. i.a. L. Bradner, *Musæ Anglicanæ : A History of Anglo-Latin Poetry 1500-1925*, The Modern Language Association of America General Series, X (Novi Eboraci, 1940 = 1966), pp. 77-98 ; *Ioannis Audoeni Epigrammatum vol. II*. Edited with Introduction, Notes, Indices by J.R.C. Martyn, *Textus minores*, XLIX - LII (Lugduni Batavorum, 1976-1978).
5. Cfr. Audoeni epigramma lib. II, 1 : « Ne placeant stultis, quorum sunt omnia plena,/ carmina non multis nostra placere volo./ Sat mihi sunt pauci lectores, est satis unus /; si me nemo legat, sat mihi nullus erit. »
6. Cfr. epistula Pauli ad Galat. 6 : « Alter alterius onera portate, et sic adimpleritis legem Christi. »
7. *corpore scripti : corpora cod.*
8. Est vox medio- et neolatina, veteribus ignota (cfr. Audoeni epigramma lib. I, 131 : « Theologi ambigu, iuristæ lenti et iniqui, / immundi medici: mundus ab his regitur. »). Cfr. etiam Audoeni epigrammata lib. I, 15 et VI, 47.
9. Est compositum poeticum antiquis ignotum.
10. *pabula scripti : papula cod.*
11. Vox trisyllaba per synizesin.
12. Cfr. i.a. Iuv. 7, 191-192 : « Felix et sapiens et nobilis et generosus/ adpositam nigrae lunam subtexit alutæ », et Stat. silv. 5, 2, 28 : « Primaque patricia clausa vestigia luna ».
13. luna tibi in capite est *cod. e corr.* : est nobiliore loco est *cod. ante corr.*
14. *veneundo hæsitans scripti (nam eiusmodi formæ vix leguntur apud veteres* ; cfr. R. Kübler - F. Holzweissig, *Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache*, I : Elementar-, Formen- und Wortlehre (Hannoveræ, 1912), p. 814) : veniendo *cod.*
15. Prima syllaba irrationaliter producta.
16. *veneundo hæsitans scripti (cfr. u. 3)* : veniendo *cod.*
17. *viro scripti (pace K.E. Georges, Lexikon der lateinischen Wortformen (Lipsiae, 1890 = Hildesiae, 1967), col. 734)* : viru *cod.*
18. Cfr. Val. Max. 5, 4 ext. 1 (cfr. etiam 5, 4, 7) : « Idem prædicatum de pietate Perus existimetur, quæ patrem suum Cimona [al. lect. Myconal] consimili fortuna affectum parique custodiae traditum, iam ultimæ senectutis, velut infante pectori suo admotum aluit. » Idem fere narrat Hyg. fab. 254 (mutatis nominibus, uti videtur) : « Xanthippe Myconi patri inclusio carcere lacte suo alimentum vitæ præstitit. » Historiam eam i.a. pinxit Petrus Paulus Rubenius (cfr. E. McGrath, *Rubens, Subjects from History*, 2 : Catalogue & Indexes, Corpus Rubenianum Ludwig Burchard, XIII (I), 2 (Londinii, 1997), pp. 97-114).

CVRRVS BOVEM TRAHIT adagium 628

DE LATINITATE ORIENTALI (III)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

Antequam secundum millennium aggrediamur,
oportet memorare Latinitatem orientalem homines
genuisse, qui in historia maximi momenti fuerunt.

Ætius nascitur circa annum 396, Durostoli in
Mœsia. Iuvenis cum sit, nonnullos annos degit obses,
imprimis apud Alarici Gothos, deinde in castris
Rugilæ, Hunnorum regis. Hoc ei postea plurimum pro-
derit, cum Hunnorum mores diu observare potuerit.


Cursum militarem ingressus, fit Magister equitum
et postea Comes Africæ. Aula imperatoris Occidentis
sedet Ravennæ, cum anno 425 Ætius adiuvat quendam
Iohannem, qui se ipsum imperatorem proclamavit.
Iohanne victo et necato, Ætius tamen, propter
magnum Hunnorum exercitum quem secum ducit,
veniam accipit a Galla Placidia, imperatoris Occiden-
talis Valentiniani III matre, quæ tunc imperium regit.

Ætius, Magister militum per Gallias factus,
Visigothos Arelate (v. Arles) profligat eosque in
Aquitaniam repellit. Inde limitem Rheni firmat atque
Noricum a Germanis defendit.

Galla Placidia, quæ Ætium timet, contra eum mittit
Comitem Bonifacium; is, quamquam victor, iacet mor-
tifero vulnere ictus. Ætius iterum Gallæ Placiæ
veniam accipit et anno 433 Patricius fit. Inde eius res
gestæ in Gallia, a multis barbaris gentibus tunc occu-
pata, sunt eximiæ. Burgundios anno 436 e Belgica pro-
pellit, eosque in Sabauidia (v. Savoie) collocat. Francos
ad rivum Sumenam (v. Somme) anno 440 prohibet
eosque propellit in regionem Tornaci (v. Tournai).

At inexpectate advenit Attila, Hunnorum rex, qui,
post gravissimam incursionem in imperium orientale
factam, Rhenum anno 451 traducit et Coloniam diruit
eiusque incolas trucidat. Inde progredientes, Hunni
incendunt Divodunum (v. Metz), Verodunum (v.
Verdun), Lugdunum Clavatum (v. Laon), Augustam
Veromandorum (v. St Quentin) et Durocortorum (v.
Reims); miseri incolæ aufugiunt et per vias vagantur.
Romani magistratus Lutetiam Parisiorum relinquunt et
se conferunt primum Cenabum (sive Aureliacum, v.
Orléans), deinde Turones (v. Tours). Attila non valet
expugnare Lutetiam, quam fortiter defendunt incolæ,
hortante puella, postea Sancta Genovefa facta. Attila
tunc statuit Visigothos in Aquitania aggredi et in iti-
nere Cenabum obsidet.

De Attilæ adventu in Galliam certior factus, Ætius
ex Italia accurrit et tot copias quot in itinere invenit
colligit, quibuscum Hunnos Cenabum obsidentes
inopinanter impugnat. Hunni autem impugnare solent,
non impugnari; quare obstupefacti refugiunt. Romani
magistratus Lutetiam redeunt. Intra tres menses, Ætius
congregare valet arma gentium, quæ antea inter se



- *Hodierna regionum nomina : a = Monteria, a' = Olteria, a'' = Banat, b = Moldova, c = Transilvania, d = Dobrogea, e = Bucovina, f = Maramures.*

- *Nomina historica : Valachia = Banat + Olteria + Monteria + Dobrogea ; Moldavia = Moldova + Bucovina ; Scythia Minor = Dobrogea.*

- *Urbes : i Bucarestii, ii Sarmizegetusa, iii Alba Iulia, iv Blasium (v. Blaj).*

decertare non desinebant; concurrunt Burgundii,
Brittones, Visigothi et Franci. Hunni tunc versantur
prope Augustobonam Tricassium (vel serius Trecas, v.
Troyes) in magna planicie, quæ vocatur Campi
Catalaunici.

Ætius non timet eos iterum aggredi; mense
Septembri anni 451 incohatur atrocissimum proelium,
quod in triduum producitur; Theodoricus, Visigotho-
rum rex, interficitur, sed Attila victus noctu aufugit et
cum superstribus Hunnis Rhenum traicit; numquam
in Galliam revertetur...

Inde Ætius, e Latinitate orientali oriundus, vocabi-
tur Occidentis Salvator.

In Imperio Orientali, quod solum superest post
ultimum Occidentalem imperatorem anno 476 deposi-
tum, oriuntur dissensiones de doctrina christiana inter
patriarcham Constantinopolitanum et papam Roma-
num. Anno 484, postquam papa et patriarcha se invicem
excommunicaverunt, incohatur schisma inter ecclesiam
apostolicam Latinam et ecclesiam orthodoxam Græcam.
Imperium Orientale, quamquam lingua Latina usque
ad septimum saeculum iniens est eius lingua officialis,
tunc in dies magis Græcum fit, sed nonnulli præ-
stantes viri e Latinitate orientali oriundi præcellentiam
Latinam in unum saeculum restituunt; tantum enim
anno 629 Imperium Orientale fiet plane Græcum atque
nomini imperatoris substituetur βασιλεύς.



Conventus ad Blasium a. 1848.

Anno 518, Iustinus, filius Latini orientalis agricolæ, quamquam plus minusve tantum Græce scit, throno Constantinopolitano potitur. Papam Constantinopolin invitat, ut manifestetur triumphus veræ fidei secundum decreta concilii Calchedonii. Iustinus a papa coronatur. Anno 527, Iustinianus, Iustini nepos, fit imperator et duodequadriginta annos regnat; finem facit schismatis. Dicere licet Occidentem tunc Oriente potum esse. Non ergo mirum quod omnes Iustiniani conatus tetenderunt ad Italiæ et totam occidentalem imperii partem recuperandam....

Usque sextum sæculum igitur Latinitas orientalis eximios viros aluit. Præterea, in Dalmatia et regionibus Danuviniis, adhuc reperta sunt circiter 18.000 inscriptionum Latinarum inter primum et septimum sæculum factarum; ex his regionibus etiam oriundi sunt scriptores Latini usque ad sextum sæculum. Iordanis, exempli gratia, Alanus vel Gothus origine, vixit in Mœsia Inferiore, ubi Latine scripsit medio sexto sæculo. Legatus Constantinopolitanus, cum Attilam medio quinto sæculo adiret, in itinere ubique intellegebatur Latine loquens; in ipsa Attilæ aula in usu erant linguae Hunnorum, Gothorum et Latina.

Sed instant tætra obscuraque sæcula. Usque ad nonum sæculum, sola inventa archaeologica demonstrant perennitatem Dacorum in regionibus supra Danuvium sitis. A nono autem sæculo iterum sunt chronica, ubi de Dacis agitur. A decimo usque ad tertium decimum sæculum complures invasiones gentium Turco-Mongolicarum regiones Balcanicas¹ vehementer perturbant. Hungari sunt una ex his gentibus; qui occupant Transylvaniam undecimo sæculo. Bulgari, alia gens Turca, cum Slavis commixti, potens regnum constituunt, quod post terribilia bella deletur a

Byzantinis, quorum imperium undecimo sæculo iterum floret et usque ad Danuvium patet.

Quarto decimo sæculo Basarab Primus coniungit nonnullas parvas civitates Dacoromanicas inter Montes Carpates² et Danuvium inferiorem (sive Istrum) sitas et fit Valachiæ dux (slav. *voivode*). Eodem tempore, Moldavia, duce Bogdan, ab Hungarorum potestate liberatur et fit altera autonoma civitas Dacoromanica.

Daci, qui ad religionem christianam quarto et quinto sæculo se converterant, occidentalis ecclesiæ erant filii; sed, post Slavorum invasiones, ad ecclesiam orientalem transeunt, iubente metropolita oppidi Ohrid, atque in cultu divino linguam Slavicam adhibent; simul scripturam Cyrillicam sibi assumunt. Metropolita Moldaviæ in ecclesia orientali singularem quandam dignitatem gerit; nulli enim patriarchæ subiacet; licet benedictionem a Constantinopolitano patriarcha accipiat, sed ab eo nec eligi, nec deponi potest. Cuncta Moldo-Valachiæ monasteria regulas a Sancto Basilio præscriptas sequuntur; eorum quattuor maioribus præsunt archimandritæ, minora autem, ducenta circiter numero, igumenis parent.

Iam quarto decimo sæculo, mahumetani Othomani in regiones Balcanicas irruere incipiunt; gradatim omnes regiones Balcanicas in dicionem suam redigunt, ubi per quattuor sæcula sæviet dira tyrannis mahumetana. Ab anno 1396 Valachia tributum Othomanis pendere debet.

Anno 1457, rex Hungarorum, Stephanus Magnus, Moldaviam et Valachiam ab Othomanorum dicione liberat in semisæculo, sed anno 1526 Solimanus Magnificus Hungaros profligat, quorum regnum corruit atque magnam partem ab Othomanis occupatur; ab anno 1568, Transylvania est in Othomanorum dicione.

Duodecimo sæculo Othomanorum imperium incipit inclinari. Contra potestas vicini imperii Russici ita crescit ut Othomanos e multis regionibus Balcanicis gradatim expellat; unde fit ut Moldavia anno 1774 in Russorum tutelam veniat.

Post tot diversas invasiones et occupationes, mirum est quod superest populus Dacoromanus; eius condicio tamen est misera; in eo enim dominantur Hungari, agri possessores, milites et officiarii Turci, agricolaæ et patricii Germani atque superus clerus orthodoxus Græcus; Dacoromani ruri ardue laborant, omni iure sociali vel politico carentes; suam tamen linguam suamque orthodoxam religionem servant atque multam prolem habent.

Magis etiam mirandum est quod hic populus, quasi in servitutem redactus, valuit resurgere et magnam rem publicam sui iuris constituere. De unitate populi

Dacoromani in toto territorio pristinæ Daciæ, iam inter quartum decimum et septimum decimum sæculum, mentionem fecerunt Europæi humanistæ, ut Flavius Biondo, Æneas Sylvius Piccolomini, Antonius Bonfini (secretarius Hungariæ regis Matthiæ Corvini). Renascentia non ignorabatur in regionibus Dacoromanicis ; Nicolaus Olahus, ut exemplum afferam, vir Valachus, commercium epistulare cum Erasmo Roterodamo habuit, cuius quadraginta circiter epistulæ servantur.

Dacoromani paulatim consciï fiunt suæ identitatis. Sic anno 1675 synodus Ecclesiæ Orthodoxæ Albam Iuliam congregatus excludere statuit omnem sacerdotem, qui liturgiam lingua Slavonica potius quam Dacoromanica celebrare pergit.

Michæl Viteazul, i.e. Fortis, Transylvaniæ princeps, qui Othomanos anno 1595 vicit, Valachiam, Moldaviam et Transylvaniam in unam civitatem anno 1599 congregat ; fugacissima tamen est hæc unio, quæ vix duos annos maneat, cum nobiles Hungari Michælem gladio transfigendum current. Michæl fit heros nationalis Dacoromanorum, sed nondum venit hora liberæ nationis Dacoromanicæ.

Exeunte septimo decimo sæculo imperium Austri-acum Othomanos etiam vehementer propellit et Hungaria potitur ; Transylvaniam quoque ab anno 1688 regit, cui imperator Austrius Leopoldus Primus anno 1699 constitutionem dat, « Leopoldinum Diploma » vocatam. Sed in Transylvania, quæ est cor antiquæ Daciæ, tunc dominantur Hungari et Germani, quamquam plurimi incolæ sunt Dacoromani ; in constitutio-ne agnoscantur quattuor religiones, scilicet Catholica Romana, Lutherana, Calviniana et Uniata, sed ipsi Dacoromani orthodoxi ignorantur.

Regimen enim Habsburgorum consilium cepit orthodoxos Dacoromanos ad catholicismum Romanum convertendi ; sic creatur Ecclesia Uniata, ubi Dacoromani doctrinam Romanam accipere debent atque a papa pendere ; licet tamen ritum orientalem servent. Jesuitæ, quibus curandum est ut propagetur Ecclesia Uniata, meliores vitæ condiciones promittunt eis qui se convertunt, quod tamen eo pauciores faciunt, quod regimen promissis non stat. Anno 1743, Imperiali Rescriptione conceditur clero Uniato et nobilibus Dacoromanis accessus ad munera publica, sed nihil ad identitatem nationalem Dacoromanorum spectans.

Maximus Dacoromanorum orator fuit episcopus Innocentius Micu ; qui iuvenis apud Jesuitas didicit ; postea, ab aula Vindobonensi baro factus, nomine Klein³ de Szad vocabatur et in Diæta Transylvaniæ sedebat. Ab anno 1729, quo factus est primas Ecclesiæ

Uniatæ, non desit Dacoromanorum postulationes regi-mini Habsburgorum patefacere. Anno 1744 synodus generalem convocavit legatorum laicorum et clericorum tum Uniatorum cum Orthodoxorum ad postulationes corroborandas, sed frustra, quamquam minatus erat se Ecclesiam Uniatam relictum esse ; potentiores enim erant in aula Vindobonensi Transylvaniæ agro-rum possessores Hungari et Germani, qui Dacoromanos irridebant vocabantque « vermiculos in laneis vestimentis ». Micu, ab inimicis suis Vindobonæ falso accusatus, Romam confugere debuit, ubi Papæ auxiliū incassum petivit. Post Innocentii Micu repulsam, Ecclesia Uniata iam non fuit attractiva et plerique Dacoromani ad orthodoxiam reverterunt. Tandem anno 1759 religio orthodoxa agnita est Edicto Tolerantiae, sed aula Vindobonensis numquam desiit operam dare, ut Dacoromani fierent catholici Romani. Nullus tamen fuit effectus ; nam in hodierna Dacoromania nonaginta centesimæ partes incolarum profitentur religionem orthodoxam.

Navitas tamen perseverantiaque Innocentii Micu eximios effectus habuerunt. Eius enim doctissimi successores, qui Vindobonæ et Romæ edocti erant, in sede Blasiana exeunte duodecimeno sæculo creaverunt industriad « Scholam Transylvanicam studiis Latinis linguæque fovendis », quam aura novorum Occidentalium commentorum, scilicet Illuminismi, tetigit. Alphabetum Latinum necessitatibus linguæ Dacoromanicæ aptaverunt. Operibus historicis et linguisticis demonstraverunt Dacoromanorum linguam recte oriri e lingua Latina, quia Dacoromani ab Antiquitate has regiones continue occupaverunt.

Primum opus typis mandatum, quod de lingua Dacoromanica tractat, Latine conscripsit Samuel Micu ;



Monasterium Dervent.

intitulatur « Elementa linguae Daco-Romanæ sive Valachicæ » et Vindobonæ anno 1780 in lucem editum est. Idem complures alios libros scripsit, ut « De origine Dacoromanorum ». Alii sunt scriptores, sicut Georgius Sincai, qui « Chronicon Dacoromanorum et plurium gentium » conscripsit ; de hoc opere maximi momenti censores Hungari dixerunt : « Opus igne, auctor patibulo dignus ».

Moldavia a sexto decimo saeculo facta est regio sui iuris, sed ab Othomanico imperio pendens. In eunte duodecimmo saeculo conatur Othomanorum iugum excutere, duce Demetrio Cantemir. Qui vir, voivodi Moldaviæ filius, Graece et Latine optime doctus est ab erudita matre. Quindecim annos natus, obses missus est Constantinopolin, ubi viginti duos annos degit. Anno 1710 rediit in Moldaviam, ubi voivodus ab Othomanis factus est, sed anno post se iunxit Petro Magno, Russiæ Cæsari, qui bellum contra Othomanos gerebat ; infeliciter victus est et Cantemir in Russiam confugit. Cantemir erat vir eruditissimus et scriptor Latinus optimæ famæ ; undecim linguas callebat atque Turcicæ musicæ etiam erat peritus. Factus est sodalis Regalis Academiæ Berolinensis ; eius maioris momenti opus est « Historia incrementorum atque decrementorum aulae Othomanicæ ».

Post Demetrii Cantemir cladem, Othomani ad regendos principatus Moldaviæ et Valachiæ mittunt Phanariotas⁴. Hi novi regentes Graeci Othomanis sedulo inseruiunt atque cultui Graeco favent ; eorum dominatio, anno 1711 incohata, Dacoromanis tanto est odio, ut anno 1821 contra eos oriatur magna populi seditio. Paucis annis post Moldavia iam non a solis Othomanis pendet, sed æque a Russis.

Anno 1774, Valachia etiam transit in Russorum dicionem. Propulsis Othomanis, novam spem libertatis concipiunt Dacoromani. Spes confortatur magnis rerum publicarum mutationibus, quæ anno 1848 ubique Europæ vehementibus tumultibus inducuntur ; magnus populi conventus tunc habetur Blasii. Anno 1859 tandem Alexander Cuza eligitur princeps Moldaviæ et Valachiæ, favente Napoleone III ; sunt enim iam diu optimæ consuetudines inter Dacoromanos et Francogallos. Anno 1862 harum regionum unio in omne ævum confirmatur. Anno 1866 nova civitas sibi nomen dat Dacoromanæ. Anno 1881 Dacoromania fit regnum a ceteris civitatibus agnatum, sed cui rex imponitur Carolus de Hohenzollern-Sigmaringen.

Transsylvania fortasse numquam potuisset cum ceteris regionibus Dacoromanicis coalescere, nisi primo bello mundano Hungari bellum una cum Austris et

Germanis gessissent. Socii, inter quos præsertim Francogalli, Dacoromanæ Transylvaniam promittunt si bellum indicunt Germanis eorumque sociis Austris et Hungaris. Quo anno 1916 facto, Dacoromania a Germanis statim occupatur, sed bello peracto, Dacoromani, victoriæ participes, Transylvania et Bessarabia potiuntur ; sic tandem perficitur « Magna Unio » ! Fœderibus de Neuilly, Saint Germain et Trianon annis 1919 et 1920 pactis, eis insuper conceduntur Dobrudja, Bucovina et Banat.

Sed hic tractandum non est de recentioribus eventis, cum ad historiam contemporaneam pertineant... ■

1. Balcanicas : *Balcan* est vocabulum Turicum, quo significatur *montes, regiones montuosæ*.

2. Montes Carpates : C. Egger, *Lexicon nominum locorum*, Officina libraria Vaticana, 1977. Origo huius vocabuli est incerta ; hoc nomen appetat post saecula obscura ; et videtur oriri e radice Albanica et Dacoromanica, qua significatur *saxum, rupes*. Antea hi montes vocabantur Alpes Bastarnicæ, propter vicinitatem gentis Germanicæ Bastarnorum.

3. Klein est translatio Theodisca vocabuli Dacoromani Micu.

4. Phanariotæ : eorum nomen trahitur e Constantinopolitano suburbio *Phanar*, quod incolebant Graeci.

DE NOVIS LIBRIS

S. BERARD, *De philosophia quantali deque institutione publica*, Bruxellis, ed. Melissa, 2005, 122 p.

Hoc libro Stephanus Berard, glottologiæ lingua-rumque professor ac scientiæ naturalis simul propagator, operum scientiarum Latine scriptorum longissimam historiam, vicesimo tamen sæculo maxima ex parte interruptam, continuat. Scientiæ physicæ quantaliæ novissima mirissimaque reperta ita enucleat ut doctus homo quisque, etsi non physice doctus, attente tamen legens intelligere omnino valeat. Auctor satis multa vocabula specialia adhibet – quorum omnia non solum ilico sed etiam in vocabulorum indice suppeditato explanantur – ut lector harum rerum scientiam profundorem adipiscatur quam qui ad solitos libros physicos populares decurrit. In hoc opere perspicue disposito exponuntur primum experimentorum quantalium eventus, recensentur deinde modo accurato et « critico » interpretationes scientiales hoc temporis eminentes, explicatur demum quid inter hæc nova et doctrinas philosophicas omnium temporum intersit. In conclusione proponit auctor ut omnium artium, non solum « scientiarum », præceptores et suos et discipulorum animos multo magis intendant in doctrinas et cogitandi modos holisticos quos scientia quantalis manifeste significat.

Huius Libri Dispositio Generalis :

Præfatio

Procœnum

I. De Experimentorum Eventibus Horumque

Interpretationibus Scientiarum Præcipuis

A. De Experimentorum Eventibus

1. De Repugnantia, Reciprocatione, Ambiguitate Quantalibus

2. De Implicatione Quantali Localitatisque Defectu

3. De Hypersymmetria et Symmetria Temporali

B. De Interpretationibus Scientiarum Præcipuis

1. De Interpretationibus Hauniensibus

2. Interpretationibus Transactionalibus

3. De Interpretationibus secundum Vndam Gubernatoriam

II. De Interpretationibus Philosophicis Præcipuis

A. De Reductionismo

1. Consideranda Historica Aliquot

2. De Reductionismo Materialistico Scientiali Moderno

3. De Mentalismo Moderno

B. De Holismo

Conclusio : Ad Institutionem Publicam Pertinentes

Significationes Quantales Aliquot

Vocabulorum Index

Opera Prolata

E. BORNEMANN, *Lateinisches Unterrichtswerk*, Ausgabe A, Teil 2, nova editio retractata ab A. Schönberger et S. Smith, Frankfurt am Main, Valentia / Domus Editoria Europæa, 2005, 216 pp.

In Melissæ fasciculo 121 annuntiata est prima pars operis, quod Prof. Dr Eduardus Bornemann (1894-1976) tempore, quo lingua Latina adhuc seriis rationibus tradebatur, tironibus destinaverat. Ecce eiusdem operis altera pars, in qua, sicut in priore, textus legendi, exercitationes, grammaticæ enodationes, indices vocabularum, declinationes, coniugationes, imaginum enarrationes, omnia ita disposita sunt et explicata, ut discipulus (Theodisce quidem loquens) solidam linguæ Latinæ scientiam acquirere possit.

ISBN 3-936132-06-2 (Valentia), 3-927884-71-5 (Domus Editoria Europæa)

F. J. CABRERA, *Monumenta Mexicana. Mexican Heritage*, introductio et translatio Anglica a W. Cooper, Literal, S. de R. L. MI., México, 2004, 299 p.

Franciscus J. Cabrera, Mexicum celebrans, epicam Vergilii traditionem resumit et ita continuat, ut vicesimo primo sæculo litteratura Latina adhuc vere sit viva. Decem carmina hexametris composita canunt heroes quorum nomina sonant tamquam verba magica : Quetzalcoatl, Gonzalo Guerrero, Malintzin ; poetas : Sor Juana Inez de la Cruz et Amado Nervo ; urbes : Mexicum, Angelopolin, Quauhnahuac ; quibus accedit Laus Guadalupensis et Elysium. Carmina lectoribus se non melius commendare possunt quam exemplo prolati : ecce, in historia « Malintzin », adventus Cortesii (v. 21-33, p. 82-84).

Jam Sol bis quinos volentes egerat annos
Quum mare velivolum sulcans, Cortesius auctor
Imminet, ore minans dum sævis increpat armis,
Et tandem optatis audax allabitur oris.

Advenit ære nitens, equitum cingente corona.
Pone canum pernix sequitur circumsona turba.
Agrestes equitum terret nova forma bimembbris
Atque metus acuit patrios hinnitus equorum.
Ipse pater tribuum clamore exterritus acri,
Dissimulans, turmæ vultu gratatur amico
Festinatque ducem gazis ornare volentem.
Auri pondus iners et, terræ sidera, gemmas
Sponte refert...

ISBN 970-93956

In hoc fasciculo !

De Mahabharata nonnulla [G. Licoppe] p. 1

De quantalis physicæ fundamentis aliquot (II) [S. Berard] p. 4

Beatrix et eius amici (V) [F. Deraedt] p. 7

Francisci Molloy epigrammata [Th. Sacré] p. 9

De Latinitate orientali (III) [G. Licoppe] p. 12

Bibliotheca Latina p. 16

*Imago tegumenti : Simii in India semper honorabantur. Hic, manifesto cicur,
verisimiliter fuit comes alicuius principis. Mamallapuram, c. VII sæc.*

MELISSÆ SYMPOSIVM ÆSTIVVM

Anno 2006 Bruxellis habebitur, a die 6 in diem 13 mensis Augusti.
De quo mox plura !



NOVVS LIBER APVD MELISSAM EDITVS

S. Berard, *De philosophia quantali deque institutione publica*,
Bruxellis, ed. Melissa, 2005, 122 p. ISBN 2-87290-022-5.
De quo plura p. 16. Pretium : 20 EUR.

DE PHILOSOPHIA QVNTALI
DEQVE INSTITVTIONE PVBLICA

AVCTORE STEPHANO BERARD, PH.D.



 MELISSA